

becillitas, ab omnibus peccatorum sordibus liberum. Quod si enim peccatis voluntariis & contra conscientiam commissis conspurcatum id deprehendat Spiritus S. ne utiquam ingreditur, cum per hæc pelli etiam soleat ex iis, in quibus mansionem jamjam fecit. Quemadmodum enim per foetorem columbæ & per fumum apes fugantur; ita Spiritus quoque Sanctus non habitat in corde peccatis ejusmodi inquinato, prout hæc Similia ad rem hanc declarandam communiter solent adhiberi.

P O R I S M A I V.

Renati possunt amittere totaliter gratiam DEI, Spiritum Sanctum, & fidem.

POrisma hoc sufficienter probari potest lapsu Saulis tristissimo. Regenitus erat hic, uti supra ostensum, & Spiritum S. gratiam Dei ac fidem possidebat, nihilo tamen segius amisit eam, cum in peccatum inobedientiæ prolaberetur. Et quod Sauli accidit, id omnibus renatis posse accedere Orthodoxi statuunt. Docent id Libri nostri Symbolici *Artis Schmalkaldic. Part. III. Art. III. p. 318. Sciendum & docendum est, quod, si Sancti, qui originale peccatum adhuc habere se sentiunt, & quotidie de eo pœnitent, & cum eo luctantur, insuper ruant in manifesta peccata, ut David in adulterium, homicidium, & blasphemiam, eos excutere fidem & Spiritum S. & abesse tum ab ipsis fidem & Spiritum Sanctum.* Nobis tamen se opponere non verentur Calviniani, qui gratiam in renatis statuunt prorsus inamissibilem. Testantur id palàm ipsorum Confessiones, quando renatos in fide & gratiâ Dei usque ad finem perseverare, & nunquam posse eadem penitus excidere constanter asserunt. Ita *Catechismi Kalasini hæc est Quæstio LIII. Was glaubest du von*